DE GLOSSITE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICAM...

Giuseppe Condestaule

DE

GLOSSITE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ad medicam Lauream

OBTINENDAM

IN UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE LEGIT

CONDOSTAULO JOSEPH

E PROVINCIA VICETINA

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI

TIBI

AMANTISSIMO PATRI

PRIMUM STUDIORUM FRUCTUM

GRATO ANIMO

CONSACRAT

FILIUS

DE

GLOSSITE

Lingua, loquelae, gustus et deglutitionis organon, musculis praecipue confecta, et vasis, membranis, glandulis, nec non nervis functionibus suis necessariis praedita, etsi raro, nonnunquam tamen, sicuti omnes reliquae corporis partes, inflammatione corripi potest. Inter omnes igitur morbos quibus vexantur homines, certe summi momenti facienda est et linguae inflammatio, propter hujus organi functionum alterationem, propter morbi decursum, et tandem propter terrificos exitus, quibus saepe hic morbus finem habet.

Omnes fere singulae inflammationes, juxta partem quam afficiunt, proprio distinguuntur nomine; sic et linguae inflammatio a Vogelio prius, ab omnibus postea Glossitis nomine distincta fuit. Auctores qui de inflammatione hac meminerunt, sunt: Sennertus, Riverius, Vogelius, Burserius, Frank, de Hildebrand, Raimann, Raggi

in sua monographia, aliique complures. De Glossite igitur, sicuti dissertationis meae argumentum, quae ab auctoribus illis, sed praesertim a clarissimo hujus Clinicae medicae Professore Corneliani attinxi, breviter exponam. Neque hic quidquam refert de aliis linguae morbis, uti aucta mole, oedemate, tumore, ulceribus, fissuris, cancris dicere, quum haec omnia chirurgi persequantur.

Glossitis, ut quaeque alia inflammatio, juxta originem suam juxtaque causas quae eam produxerant, primaria, vel secundaria esse potest. Nonnullis etiam placet eam, ut alia morborum genera, in idiopathicam, et sympathicam dividere. Ut primariam vero habeamus, necesse est, ut causae morbificae in linguam ipsam actionem suam exerceant; dum in secundaria originem agnoscimus a causis linguae, fere dicam, extrinsecis nulloque pacto cum illis primariae confundendis. Sic etiam cura diversimode prorsus modificari debet, an de primaria, vel de secundaria linguae inflammatione agatur. Haec Glossitis differentia tunc bene patebit quum de morbi causis et cura sermo erit. Praeterea aliae differentiae desumuntur a morbi indole, gradu, tempore quo perdurant, aliisque circumstantiis; unde clare patet, non eamdem ejus esse naturam, sed variam, prout temperamentum, habitus corporis, aetas, sexus, anni tempus, aliaeque causae antecedentes variantur, sicuti in aliis inflammationibus.

Glossitis quum vere adsit, juxta plurium auctorum sententiam, semper morbus acutus, et pericu-

losus faciliterque ad suppurationem proclivis evadit; et hinc Burserius: *Periculosissima sane*, ait, *est linguae inflammatio; ni enim cito resolvatur, aut in abscessum cito aperiendum desinat, eliso spiritu miserrime enecat.* Decursus autem hujus morbi rapidissimus est, quandoque mortem paucos intra dies per suffocationem inducere valet.

SYMPTOMATA.

Diagnosis hujus morbi nullis difficultatibus obsequitur, nam semper sequenti symptomatum adparatu se se prodit. Febris accedit cum frigore, quod protinus calor immodicus excipit: quod commune fere est cum aliis morbis acutis. Sed frigore febrili adhuc praesente, lingua persaepe integra, raro dimidia dolore, rubore, calore, atque tumore occupatur, et haec symptomata magis magisque increscunt. Loquendi et deglutiendi difficultas mox oritur, imo paullatim tanta fit, ut utraque facultas aboleatur: quandoque lingua admodum turget, ut cavum oris compleat, ultroque protendatur, glottidem obstruat, gravi cum suffocationis periculo. Quum nec bibere nec edere liceat, aegrum fames et sitis fatigat. Dorsus linguae denso et tenaci muco obducitur: mox saliva viscida et glutinosa sponte profluit, siculi in Glossite mercuriali; mox siccitas adest molestissima; facies rubet, caput dolet, et vigiliae fere continuae aegrum exercent. Gustus ab initio non alteratur, in decursu tamen obtunditur, propter

nervorum compressionem, nec non propter effusionem lymphae concrescibilis in interstitiis musculorum, sicuti Raggi in cadaveribus hoc morbo peremptis, necroscopiae, ope ostendit. Gradu altiori evecta, phaenomena cuncta quoque altiorem gradum attingunt, hinc sitis ardens, anxietas et inquietudo maxima apparet, agrypnia, cephalaea augetur, interdum sopor apoplecticus, faciei squallor, pulsus autem semper durus, suppressus et fortis, febris acutissima, cum thermogenesi universali adaucta, aliquando etiam cum delirio, ob irritationem nervorum ad encephalum transmissam. Non raro quoque et ventriculus in consensum trahitur, et hinc nausea, vomitus, singultus insurgunt, quae symptomata omnia Glossitis complicationem et periculum adaugent. Sanguis e vena eductus in densam, tenacem firmamque massam concrescit, et desuper crusta illa crassa, fibrosa, dura et consimili obducitur. Non semper vero sanguis istis characteribus insignitur, juxta observationes omnium Clinicorum; sed prae ceteris clariss. Haenius hanc rem confirmat, inquiens: *Nonnunquam sanguis initio febris acutae, aut etiam topicae inflammationis, missus crusta caret; habetque eamdem aut in altera, aut in tertia, aut in quarta venaesectione. Imo in morbis maxime inflammatoriis in nullo sanguine, quotiescumque misso, aliquoties crusta ulla est.* Etiamsi vero in sanguine detracto hujusmodi corium, sive crusta, vel coagulum observentur, tamen nunquam inflammationis praesentiam con-

firmant, nisi prius et alia phaenomena una simul concurrant. Fallax igitur semper erit judicium inflammationis, e sanguinis emissi characteribus, desumptum.

Glossitis secundariae symptomata, cum illis adfectionibus adsociantur, quibus glossitis originem habuit, et hinc obscurior et difficilior diagnosis semper evadit.

CAUSAE.

Glossitis primariae causae praecipue ad mechanicas pertinent, sicuti illae quae vel sua massa, vel sua vi, structuram et linguae cohaesionem alterando, irritationem promovent, et phlogosim excitant. Hinc recensentur vulnera, puncturae, morsus sub masticatione, trismo, epilepsiae accessibus. Incauta frenuli incisio, vel raninae sectio; dentes introrsum prominentes, et acuti; puncturae insectorum venenatorum, praesertim vesparum. Praeter has, habemus et temperamentum sanguineum et biliosum, aetas juvenilis et media, plethora et alia. Tandem veniunt causae procatarticae, quae nimirum occasionem morbo suppeditant. Hae autem sunt: subitum frigus praesertim calori, aut subitus calor ingenti frigori succedens, potus frigidus aestuanti ingestus, substantiae acres, causticae linguae excoriatae adplicitae. Causae vero Glossitis secundariae erunt; inflammationes partium vicinarum, tonxillarum, faucium, glandularum salivalium, aphthae in mucosa oris, exulceratio-

nes syphiliticae, praesertim in lactantibus mammas syphilide excoriatas; calculi salivales, refrigerium repentinum sudoris, miasmata, venena et medicamenta inconsulto et ultra modum sumpta, sicuti abusus mercurii, aliaque similia. Habetur etiam sicut Glossitis causa metastasis, nec non haemorrhoidum, menstruationis, vel cujuscumque secretionis suppressio.

Non semper autem hae causae in omnibus individuis inflammationem inducere valent; nam et dispositio quaedam peculiaris requiritur. Quapropter glossitis vera raro in praxi occurrit, quae ubi evenit, semper acuta et periculosa evadit.

EXITUS.

Unaquaeque inflammatio varios exitus habet. Communior sententia est, eam finiri vel resolutione, vel suppuratione, vel gangraena, vel scirrho. Sic igitur dici potest etiam de Glossite. Quum recens et levis sit, facile resolvitur. Quum vero gravior et pertinax, facile transit ad gangraenam, sphacellum, vel obdurescit, et in carcinoma convertitur. Suppuratio, juxta clarissimi professoris Corneliani sententiam, rarissime evenit, nisi aphthas mucosae excipiamus.

Glossitis autem quae a mercurialium abusu procedit, nisus habet ad coagulationem, hypersarcosim, polypum, condilomata, excrescentias, praecipue ad margines linguae, ubi attactum cum dentibus exercet.

Frequentissime vero Glossitis in mortem finem habet vel per suffocationem, vel apoplexiam, vel tandem propter inflammationis lethales exitus.

PROGNOSIS.

Differt prognosis Glossitis juxta originem, gradum, naturam, ejusque indolem, nec non juxta complicationes hunc morbum saepe comitantes. Differt etiam de primaria, vel de secundaria agatur inflammatione. Si recens et levis glossitis habeatur, facile per se, aut paucis artis auxiliis resolvi sperare potest. Dum e contra si gravis sit, notabile semper includit periculum. Dubium igitur semper erit judicium. Si inflammatio in abscessum desinit, facile evincitur puris evacuatione et vulneris cicatrisatione. Quum vero neque resolutio, neque evacuatio ulla critica, neque suppuratio fit, et contra vehemens inflammatio cum omnibus symptomatibus persistit, urgetque, profecto timor imminet gangraenae. Hanc jam praesentem esse demonstrant pulsus debiles, inaequales, parvi; color linguae ex rubro in lividum, aut nigrum mutatus, doloris cesatio, halitus foetens, teter faciei color, aut pallor, aut livor, atque extremitatum refrigeratio. Demum in scirrhum glossitis aliquando finem habet, qui exitus semper gravis est propter linguae necessariam extirpationem, ejusque functionum abolitionem. Frequentissime vero mors evenit per suffocationem.

Ex dictis clare patet, prognosim Glossitis semper dubiam et reservatam esse.

Ocyssime igitur horrendo malo occurrendum est.

CURA.

Omnia generosiora artis auxilia, quae inflammationes discutiunt, in usum vocari oportet, et in amovendis causis, si potest, prima sit cura. Quamobrem protinus ab initio oportet, uberiorem sanguinis ad partem inflammatam influxum imminuere. Hinc extemplo sanguinem e vena, praesertim jugulari, aut ranina abunde mitti necesse est, idque pluries pro re nata iterari, hirudines sollicite linguam, vel circa collum admoveri, cucurbitulas dorso scarificatas defigi, alvum satis valide duci, aut saltem enematibus sollicitari, et collum cataplasmatibus idoneis circumcingi. Interea, si fieri possit, os saepe emolliente et resolvente decocto, cui lac et mel adjectum sit, colluendum est. Laudantur quoque vapores tepidi, potus temperati, pediluvia, tartar. stib. per clysma. Sub autem metu suffocationis et gangraenae celebrantur incisiones ad margines linguae profundae et debito distantes, ut consulit Raggi, sanguinisque profluvium vaporibus, et collutoriis sustinendum. Laryngotomia, anceps semper auxilium, tantum ingruente suffocationis periculo adhibeatur. Lingua e faucibus protensa et arida, cremore lactis, aut oleo amygdalarum dulcium, aut muci-

laginosis liniatur. Si deglutitio omnino impedita sit, enematibus potius aeger sustentetur; nam cannulae per nares, juxta Liboutonie et Richter, oesophago difficile adplicantur. Quum vero Glossitis ad suppurationem tendere videatur, lacte, butyro, oleo blandissimo, aut decocto emolliente, et mucilaginoso assidue humectando illam sollicitare oportet. Pure demum confecto, abscessus mature aperiri debet, ut pus emittatur. Quae dum aguntur si deglutiendi facultas redierit, aut liberior evaserit, liberaliori manu potus dentur, sed calidi, ea omnia quae diluunt, temperant et diaphoresim proliciunt, quae vim vitae leni stimulo erigunt, et quae putredini adversantur. Hic praesertim celebrantur flores chamomillae, cortex peruvianus, camphora, et alia. Si contra gangraenae indicia se prodere incipiant, protinus ad antiseptica confugiendum est. In horum vero usu cavere oportet, ne inflammatio adaugeatur. Itaque acria atque irritantia vitentur, aut certe summa prudentia adhibeantur.

Glossitis secundaria sedulam non minus quaerit curam. Quae ab ulceribus syphiliticis pendet, mercurialibus curetur; quae ab aphthis adstringentibus et detersivis. Difficile vero vincitur glossitis quae a mercurialium abusu procedit, nam prius dyscrasiam emendare oportet. In glossite autem quae ab haemorrhoidum, menstruationis, vel cujuscumque secretionis suppressione originem duxit, opportunis remediis quam prius eas revocare summi erit momenti. Quo in casu peri-

neum circa vel anum admovendae hirudines sunt.

Ubi vero conquieverit malum, aptum vitae victusque regimen observetur, ne iterum recrudescat.

Posthuma Glossitis pro gradu et cura expectanda sunt.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Glossitis primaria rarus morbus.

II.

Vitae periculum in glossitide magis mechanicum quam dynamicum est.

III.

Raninarum venarum sectio in glossitide difficile semper, non raro periculosum auxilium.

IV.

Phlogoses intermittentes non dantur.

V.

Ischuria paralytica raro datur.

VI.

Abstinentia ciborum nimia gastritidem inducere valet.

VII.

Uroscopia praesertim in nervorum adfectionibus quammaxime facienda.

VIII.

Non dantur remedia specifica.

IX.

Actio mechanica remediorum inversa ratione se habet cum gradu reactionis vitalis.

X.

Remediis mineralibus (caeteris paribus) vegetabilia praeferenda.